



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

361. Petrus probat ex Ioële, quod factum mirabantur Iudæi.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

MEDITATIO CCCLXI.

*Petrus probat ex Ioële, quod factum
mirabantur Iudæi.*

I. **S**Tans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem universi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea. Non enim, sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia: sed hoc est, quod dictum est per prophetam Ioël: Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri, & filia vestra: & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. *Act. 2. v. 14. 15. 16. 17.*

II. Et quidem super servos meos, & super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt: & dabo prodigia in coelo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. *Act. 2. v. 18. § 19.*

III. Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus. Et erit: Omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. *Act. 2. v. 20. § 21.*